

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.I.], 1711**

VIII. Confusio Turris Babylonicae.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

ludque , retrosum incedentes , iniiciunt nudato corpori , pudicitiae pariter & pietatis laude , uno in officio , conjunctâ . Insigne tulit virtus præmium . Posteaquam Noëmus , ebrietate cum sopore discus- sâ , advertit , tectum se pallio non suo , sed alieno , caussaque intellectâ , meritas in Chamum filium , & Chanaanem nepotem , devotiones , non tam im- precandi , quâm futuras calamitates posteris ipso- rum eventuras , prædicendi gratiâ , protulit . Ne- que aliter , quâm præfigit , evénit . *Senum* nam- que *Iaphetumq<sub>z</sub>* ( Gentiles *Iápetum* appellant ) fausta parentis precatio in progeniem cunctam est comita- ta , tam frugum , quâm sapientiae , pietatis , religio- nis , divinæque gratiæ copiâ , Deo eam prosequen- te . Chananæi verò , *Chami* , & *Chanaanis* posteri , impietatis avitæ hæredes & imitatores , servituti non modò corporum , sed animorum quoque , in omne scelus projectorum , addicti stirpitus exscindi , à Deo jussi , documento fuerunt orbi , quâm infeli- ces sint , quorum patrimonium est vitiositas paren- tum .

## NAR. VIII.

# CONFUSIO TURRIS BABYLONICÆ

Gen. II. A. M. 1909. ante Ch. 2144.

**A**ntequam spargeretur in diversa mortalium genus , civitatem , quæ potentiae argumen- tum esset , ad Euphratis ripas , amplissima planicie posuerunt . Quale opus ! quod ab omnibus

in-

inceptum hominibus , quod annis viginti duobus nonum absolutum , quod imperfectum , regnus des fuit , cuius ex fundamentis, primum orbis miraculum, surrexit , Babylo. Et in ea turrim erexerunt, quæ cœlo, si superis placet, par effet. Disiecta tandem est superba illa ædificantium vanitas, linguis divisorum , & manibus. Non grassatus est Deus fulmine, non ignibus pœnam infixit ; sed acerbissimum superbis supplicium , contemptum ; idiomma unum, in septuaginta duo divisum ; animorum quoque discordiam invexit , & machinatores longe, latèque dissipavit. Rei seriem paullò pluribus exprimemus.

Jam Cainus Abelis fraterno sanguine , per homicidium fuso , pœnas dederat , jam dudum Cainitis immixiti per connubia Sethiani (Sethi, religione incliti, nepotes ) filiorum DEI nomen intemperanti mulieriositate foedaverant ; & irritatus mortalium unanimi scelere , nequitiaque Deus , inundatione terrarum prodigiosa delerat, quidquid vivere prius jussérat. Jam siccato rursus orbe, Noachi tres filij , totidemque nurus ex *Ararato* monte , cuius vertice tandem institerat Arca , descendentes , Armenia superioris vicina quæque loca repleverant, ingenti posteritate ; jam denique *Noachus* filio *Semo* Asiam, ultra Euphratem, ad Indicum usque oceanum, dederat ; *Iapheto* Asiam reliquam cis Euphratem , cum Europa ad Gades usque ; *Chamo* Syriam cum Arabia , & Africa tota concesserat ; cùm *Nemrodus*, alio nomine Belus , Chami , paternæ nuditatis illusoris , non degener nepos, robore procerit atque corporis præcellens , adhæc præfidus , tumidus , ferox , di-

divinorum neglector , nec inferior oris facundia ;  
 mortalibus per clientes , & amicos suos persuasit ,  
 ut, antequam in varias terras dividerentur, turrim  
 exstruerent, cuius apex nubes penetraret : servitu-  
 ram eam altitudinem cum gloriæ & memoriarum Con-  
 ditorum ; tum futurum munimentum , adversus  
 aquarum eluviones , si quando terras iteratò inunda-  
 rent. Cuncti non aures magis, quam manus præ-  
 buere promptas. Nec mora , calentibus omnium  
 studiis, inchoatur opus : urbisque dimensis spatiis  
 ac pomariis, & egesto limo, collectoque certatim  
 bitumine , compinguntur & excoquuntur diu no-  
 etque lapides. Murorum , propugnaculorum ,  
 turrium , ac domorum firma demittuntur funda-  
 menta ; præcipueque Turris illius , ac verius Arcis,  
 quod in urbis parabant meditullio machinari. Sunt ,  
 qui structorum quingenta millia tantæ moli tribue-  
 rint. Et si Herodoto , Græco Scriptori, credimus ,  
 murorum ex lateritia materia crassitudo unius fuit  
 stadij, sive partis octavæ milliaris Italici , quorum  
 quatuor constituunt unum Germanicum ; funda-  
 mentorum vero latitudo prorsus incredibilis. Cum  
 enim octo supereffent, etiam Herodoti tempestate,  
 turris in una Turri : sic aliæ aliis fuerunt superim-  
 positæ, ut operis sublimitas, quanquam inconsu-  
 mta ., Divi Hieronymi testimoniō , ad quatuor sal-  
 tem passuum millia, hoc est, milliare Germanicum ,  
 ascenderit. Templum in infimâ turri , quadri-  
 formi stetit figurâ, cuius circuitus duum stadiorum;  
 ut non immerito à quodam Gigantum turris , ac  
 turri gigas appellata sit.

Procedebat incrementis suis illa moles , & annis

in

in vicennium jam , & amplius ; inde Nemrodo di-  
 cante fabricæ formam , ac leges ; hinc verò præ-  
 ceptis obtemperante cœtu homintum , unâ lingua  
 utentium , quâ generis humani primi propagatores  
 imbuerunt posteros suos ; quæ deinceps in *Hebère*  
 retentâ , Hebraicæ nomen ac dignitatem sola conser-  
 vavit. Donec proritatus Deus , & arrogantiâ mor-  
 talium , & coloniarum in diversa loca tarditate ,  
 turbavit uno momento multorum aunerum nego-  
 tium , conturbatis structorum verbis ; septuaginta  
 duobus , pro numero totidem principum famili-  
 arum , distinctissimis idiomatibus , intra temporis  
 unicum articulum , enatis. Itaque frendere præ-  
 ceteris Nemrodus , ferus & impotens animi vir , nec  
 imperium curari suum , nec capi voces ac jussa ; disce-  
 dere , si quos vocaret ; venire si quos facessere juberet :  
 cessare laborantes , laborare , quibus ipse cessatio-  
 nem indixisset ; pro latere lignum , pro ligno gle-  
 bam , pro bitumine caseum , aut lactis sinum ; pro  
 bipenni vel malleo panem , vel fructibus refertam  
 corbulam apportari ; denique cuncta fieri , præte-  
 terquam ea , quæ facienda tunc instarent ; cæteri  
 quoque nec obsequium , insanis quantumvis accla-  
 mationibus , extundebant mutuum , nec familiare  
 responsum ; donec vertente in commiserationis af-  
 fectum indignatione , non jam contumaciam , sed  
 pœnam esse senserunt , ultione Numinis immissam.  
 Ita factum , ut desperatione successus , alius aliò per  
 manipulos , ac centurias dilaberentur , remanenti-  
 bus ad extremum solis illis , qui se Nemrodianos  
 usu communis linguae profitebantur. Tanti refert  
 ad firmam studiorum concordiam retinendam , ne

ser\*

sermone quidem dissonare. Ex illo temporis ac rerum punto, diversissimas in terras, insulásque, mortales dilapsi sunt, & Urbs, pendentibus cæptis, & urbis arx, monstrosa Turris, ab eo tempore nonenomen *Babélis* fortitiae sunt; quæ vox Confusio- nem Hebræa significatione præ se fert; ex eo, qui linguis disturbavit, permiscuitque, successu. Græci deinde, Romanique Babylonæ nominarunt. Nemrodus verò, convalescente magis ac magis per propaginem populo, clientelisque, quæ voluntate sponteque subjectorum, quæ viribus & armis, regnum instituit, quem filius exceptit *Ninus*, qui genitorem vitâ functum, per exsecrabilem superstitionem, in ipso Turris Babylonicæ templo consecravit, & in impio simulacro Deum esse jussit, principio tunc idolatriæ stabilito. Usque adeò malum Principum mores facile transfunduntur in populum. Et Salomonis proverbio fertur cap. 29.  
*Princeps amans mendaciam, habet omnes ministros impios.*

## NAR. IX. ABRAHAMI MIGRATIO

E Chaldæa in Chananitidem. Uxoris Saræ in Egypto periculum. Victoria de Chodorlahomōre Elamitarum regulo. Occursus & Gratulatio Sacerdotis Melchisedechi. Gen. 12. 13. 14.  
 Ab anno M. 2108. antē Ch. 1945. ab anno M. 2117.  
 ante Christum. 1936